



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus
voluntate et providentia]

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. II. Solvuntur objectiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

re lumine gloriæ, ipsam ad clarum Dei visionem elevante. Vazquez autem hic disp. 43. cap. 3. & 7. licet luminis gloriæ necessitatem: absolute non neget: asserit tamen ad visionem beatificam sufficere vel solum lumen gloriæ, vel solam essentiam divinam, per modum speciei intelligibilis intellectui unitam, subindeque alterutrum ex illis esse superfluum. Oppositum docent alii Theologi, tam domestici, quam extranei.

§. I.

Duplici conclusione vera sententia statuitur.

Dico primo, animam indigere lumine gloriæ ad videndum Deum. Conclusio est certa de fide, definita in Concilio Viennensi in Clement. ad nostrum de Hæreticis, ubi dicitur: *Animam indigere lumine gloriæ, ad Deum videndum, & eo beate perfruendum.*

Ratio etiam id suadet: Deus enim, summum & indeficiens lumen, nunquam sine lumine videri potest, humanæ capacitati, juxta diversos status, contemperato. Nam ut Auctor naturæ, naturalis rationis lumine percipitur: ut Auctor gratiæ, in hac mortali vita, obscuro fidei radio cognoscitur. Ergo etiam non nisi splendidissimâ gloriæ luce, clarè & intuitivè à beatis videri potest in patria. Unde Job. 36. *In manibus eius abscondit lumen, & annunciat de ea amico suo quod possessio eius sit.* Ub. Gregorius: *Amicus veritatis est recta motor actionis: unde & ipsa veritas discipulus dicit, vos amici mei estis si feceritis quæ præcipio vobis. . . . De hac igitur luce aeternæ patriæ, amico suo Deus annuntiat, quod possessio eius sit, ut nequaquam infirmitatis sua fragilitate desperet, sed tamen certius sciat, quia illius lucis claritate in possidebit, quanto minorum pulsantium tenebras veritas calcet.*

Addo, quod potentia quæ ex se, & ex sua natura est insufficientis, & improporcionata ad aliquem actum eliciendum, indiget confortari, & elevari per aliquam virtutem in se receptam: Sed intellectus creatus, ex se & ex sua natura est insufficientis, & improporcionatus ad visionem beatam, ut ostendimus disputatione præcedenti: Ergo ad videndum Deum indiget aliquâ virtute superadditâ, quæ lumen gloriæ à Theologis nuncupatur. Hæc conclusio magis patebit ex infra dicendis.

Dico secundo: Ad videndum Deum, non sufficere essentiam divinam in ratione speciei intelligibilis intellectui beatorum unitam, sed insuper requiri lumen gloriæ ex parte potentie.

Colligitur ex D. Thoma hic art. 5. & 3. contra Gentes cap. 3. ubi docet lumen gloriæ esse necessarium ad videndum Deum, & tamen requirit etiam unionem essentia divini in ratione speciei intelligibilis, imò dicit quod lumen gloriæ est dispositio ad hanc unionem: Igitur utrumque simul requirit, scilicet lumen gloriæ, & essentiam divinam loco speciei: Non ergo alterum istorum superfluit, ut docet Vazquez.

Præterea idem S. Doctor in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 1. ad 15. distinguit triplex medium in visione: scilicet medium *sub quo*, ut lumen: medium *quo*, sive species, & medium *in quo*, sicut speculum in quo res representatur; & negat hoc tertium medium in visione beata, secundum verò medium docet esse essentiam divinam, non autem aliquam similitudinem creatam; primum autem medium, scilicet lumen gloriæ elevans

intellectum, in illa admittit: Ergo D. Thomas utrumque in visione beata requirit, scilicet lumen gloriæ confortans intellectum, & essentiam divinam gerentem vices speciei. Denique hic art. 2. dicit, *Ad visionem tam sensibilem quam intellectualem, duo requiruntur, scilicet virtus visiva, & unio rei vise cum visu.*

Ratio etiam id suadet: Nam, ut supra declaravimus, intellectus & productio verbi, est quidam partus intellectualis, ex potentia intellectiva, & objecto procedens: Ergo cum intellectus creatus non habeat ex se, & ex sua natura virtutem, saltem proximam, ad videndum Deum, sed radicalem tantum & remotam, præter unionem essentia divini, in ratione speciei intelligibilis, requiritur lumen gloriæ ei superadditum.

Confirmatur, & magis illustratur hæc ratio. Potentia intellectiva, respectu actuum naturalium, utrumque requirit, scilicet speciem, & virtutem proportionatam talibus actibus: Ergo similiter in actibus supernaturalibus, præter speciem, requiritur virtus supernaturalis illis proportionata. Unde docent Theologi in Tractatu de fide, quod ad assensum fidei, non sufficit sola extrinseca objecti revelatio, vel sola species, mysteria supernaturalia representans, sed requiritur insuper lumen aliquod supernaturale in anima receptum, & per modum habitus, vel auxilii communicatum: Ergo vel dicendum est, quod ipsa virtus naturalis intellectus creati, ex se est sufficienter proportionata ad videndum Deum (quod est error Begardorum à Concilio Viennensi proscriptus) vel quod indiget lumine gloriæ, distincto à specie. Adde quod, essentia divina, ut species impressa, non est unibilis intellectui creato, nisi mediante lumine gloriæ, quod est ultima dispositio ad illam unionem, ut ostendemus articulo sequenti.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primo contra primam conclusionem: Lumen gloriæ ponitur à Theologis, ut confortet intellectum, & reddat illum potentem, & proportionatum ad videndum Deum: Sed ad hoc non potest deservire: Ergo illud ad visionem beatificam non est necessarium. Major constat, Minor probatur. Inter intellectum creatum, & essentiam divinam, est infinita distantia: Ergo non potest intellectus creatus fieri potens, & proportionatus ad videndum Deum, per lumen gloriæ, quod est creatum & finitum virtutis; improporcionum, & distantia infinita non potest tolli, aut vinci, per quamcunque virtutem creatam, & finitam.

Confirmatur: Virtus perficiens & confortans potentiam vitalem, ad aliquem actum vitalem eliciendum, debet esse vitalis: Sed lumen gloriæ, cum proveniat ab aliquo extrinseco, non est virtus vitalis: Ergo non potest perficere & confortare intellectum creatum, qui est potentia vitalis; ad eliciendam visionem beatam, quæ etiam actio vitalis est.

Ad objectionem respondeo, quod licet inter intellectum creatum, & Deum, infinito modo cognoscibilem, sive ut cognoscibilem adæquatè & comprehensivè, sit infinita distantia & improporcionio, quæ per quocunque lumen creatum & finitum vincit & tolli non potest, tamen ad Deum.

Lib. 27.
cap. 8.

ut finito modo visibilem, non est infinita distantia simpliciter, sed solum diversus ordo naturalis, & supernaturalis: unde hac in proportione vincitur per lumen aliquod creatum ordinis supernaturalis, quod sit participatio quadam divina intellectualitatis.

Ad confirmationem dicendum, quod licet lumen gloriæ non sit virtus vitalis ut quod, quia si habens in se vitam, bene tamen ut quo, quia est vis quadam ordinata ad elevandum intellectum ad altioram vitam: ut videlicet anima que de se vivit vitam intellectivam, vivat vitam æternam & beatam, ac participet divinam. Sicut licet semen non sit animatum, nec vivens ut quod, quia tamen est vis quadam instrumentaria, ordinata à natura ad generationem viventis, potest dici vivens ut quod.

Ad illud quod additur, nempe quod virtus illa est extranea, & proveniens ab aliquo principio extrinseco, dicendum est, quod licet illa non oriatur ab ipsa anima, que est principium radicale, & proprium vitæ; oritur tamen ab ipso primo vitæ authore, scilicet Deo, dante vitam propriam homini, & illum elevante ad superiorem & divinam.

8 Obijcies secundo cum Vazque contra secundam conclusionem: Lumen gloriæ requiritur ut determinet intellectum ad videndum Deum: Sed ad ejus visionem sufficienter determinatur per essentiam divinam in ratione speciei intelligibilis ei unitam: Ergo posita hac unione, superfluum lumen gloriæ.

Respondeo distinguendo Majorem: Lumen gloriæ requiritur ut determinet, ex parte potentie, concedo: ex parte objecti, nego. Similiter distinguo Minorem: Intellectus per essentiam divinam ad visionem sufficienter determinatur, determinatione se tenente ex parte objecti, concedo: se tenente ex parte potentie, nego. Solutio patet ex supra dictis: Cum enim iuxta commune Augustini proloquium, ex objecto & potentia paratur notitia, ad cognitionem duplex requiritur determinatio, & virtus: una se tenens ex parte objecti, quod in illa generatione spirituali se habet ut mas, & alia ex parte potentie, que se habet ut femina: unde ad visionem beatificam non satis est, quod intellectus creatus objective determinetur ab essentia divina, per modum speciei intelligibilis ei unita; sed insuper requiritur, quod determinetur intrinsicè à lumine gloriæ, ex parte potentie se tenente, & illam confortante, elevante, ac disponente ad unionem essentia divinæ per modum speciei intelligibilis, ut magis constabit ex dicendis articulo sequenti.

ARTICULUS II.

Quæ sint munera luminis gloriæ in intellectu creato?

9 Dico primo: Lumen gloriæ disponere intellectum creatum ad unionem essentia divinæ per modum speciei intelligibilis.

Est contra Vazquem loco supra citato cap. 3: est tamen D. Thoma hic art. 5. ubi sic dicitur: Omne quod elevatur ad aliquid quod excedit suam naturam, oportet quod disponatur aliquâ dispositione que sit supra naturam ejus: sicut si aer debeat accipere formam ignis, oportet quod disponatur ali-

Tom. 1.

A qua dispositione ad talem formam, cum autem aliquis intellectus videt Deum per suam essentiam, ipsa essentia Dei sit forma intelligibilis intellectus. Unde oportet quod aliqua dispositio supernaturalis ei superaddatur, ut elevetur in tantam sublimitatem.

Confirmatur ex eodem S. Doctore 3. contra Gent. cap. 54. Essentia divina que est actus purus, est propria & naturalis forma intellectus divini: Ergo impossibile est quod sit forma intelligibilis intellectus creati, nisi per hoc quod intellectus creatus fiat divini ordinis, per lumen gloriæ, quod est participatio quadam divina intellectualitatis. Impossibile enim est (inquit S. Doctor) quod propria & connaturalis forma alicujus rei sit forma alterius, nisi participet aliquam similitudinem illius cuius est propria forma: sicut lux non fit actus alicuius corporis, nisi tunc corpus aliquid participet de diaphano.

Dices: Lumen gloriæ est aliqua forma supernaturalis, & tamen ad illud recipiendum nulla requiritur dispositio in subiecto, sed sufficit sola potentia obedientialis passiva item substantia Verbi, licet sit supernaturalis, immediate tamen, & sine aliqua prævia dispositione, unitur humanitati: Ergo est divina essentia in forma supernaturalis, poterit tamen sine prævia dispositione uniri intellectui beatorum in ratione speciei intelligibilis.

Respondeo deo concessio Antecedente, negando

C Consequentiam, & paritatem. Ratio disparitatis quantum ad primum est, quia licet aliqua forma supernaturales (illa nimirum que non sunt ultimæ, sed viales, & ad alias ordinata) non petant dispositiones ejusdem ordinis, sed solam potentiam obedientialem passivam, & receptivam illarum: forma tamen que est ultima, & perfecta, ac principalis, ne cessario aliquam dispositionem exigit in subiecto: unde cum lumen gloriæ se habeat per modum formæ vialis, & ordinatæ ad aliam principalem, & perfectam: scilicet divinam essentiam, unitam intellectui in ratione formæ intelligibilis, nullam requirit in eo dispositionem; bene tamen essentia divina, ut habet rationem speciei impressæ, & formæ intelligibilis. Sicut in ordine gratiæ, auxilium sufficiens, quia est prima dispositio, & præparatio ordinis supernaturalis, nullam requirit dispositionem in anima, sed illam primo præparat, & disponit ad actus perfectiores; gratia tamen sanctificans, quia in ordine supernaturali est forma ultima, & perfecta, & ultimus spiritualis generationis terminus, exposcit aliquam dispositionem in subiecto in quo recipitur.

D Ad secundam instantiam, neganda est etiam paritas cum Caietano 3. parte quæst. 2. art. 10. Ratio discriminis est, quia unio hypostatica non fit per elevationem naturæ humanæ ad formam aut operationem, sed ad esse substantiale, ad quod nulla requiritur dispositio; cum existentia substantialis sit primum in subiecto; visio vero beatifica fit per elevationem ad formam & operationem supernaturalem, & ideo ad eam necessaria est supernaturalis dispositio, ut magis constabit ex ratione sequenti.

Ad secundam instantiam, neganda est etiam paritas cum Caietano 3. parte quæst. 2. art. 10. Ratio discriminis est, quia unio hypostatica non fit per elevationem naturæ humanæ ad formam aut operationem, sed ad esse substantiale, ad quod nulla requiritur dispositio; cum existentia substantialis sit primum in subiecto; visio vero beatifica fit per elevationem ad formam & operationem supernaturalem, & ideo ad eam necessaria est supernaturalis dispositio, ut magis constabit ex ratione sequenti.

Probatum ergo secundo cœcilio aliâ ratione fundamentali. Nulla species, sive sensibilis sive intelligibilis, in ratione speciei uniri potest, nisi potentia habenti sufficientem virtutem, ad utendum ipsâ ad eliciendam cognitionem. Licet enim species visibilis v.g. in ratione qualitatis aut accidentis, possit divinâ virtute poni in lapide, aut

T

III